existente: tamen, si aliis probationibus rei [1] gestæ veritas comprobari potest, Præses provinciæ secundum jus custodiri efficiet. PP. 9. Kalend. Jul. iisdem Consl. quibus supra 286.

De parte accepta ab uno ex correis debendi.

18. Iidem AA. Julio & Æmilio.

SI creditores vestros ex parte debiti admisisse quemquam vestrum pro [2] sua persona solventem probaveritis: aditus Rector provinciæ, pro sua gravitate, ne alter pro altero exigatur, providebit. PP. 7. Idib. Jan. DIOCLETIANO III. & MAXIMIANO AA. CONSS. 287.

De futura successione.

19. Iidem AA. Victoriano militi.

LICET [3] inter privatos [4] hujusmodi scriptum, quo comprehenditur, *Ut ii qui supervixerit* [5], *alterius rebus potiatur*, ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendat: tamen cum voluntas militum, quæ super ultimo vitæ spiritu, deque familiaris rei decreto quoquomodo contemplatione mortis in scripturam deducitur, vim postremi judicii obtineat: proponasque te ac fratrem tuum ad [6] discrimen prælii pergentes ob communem mortis fortunam invicem [7] esse pactos, *ut ad eum, qui superstes fuisset, res ejus, cui casus finem vitæ attulisset, pertinerent*: existente conditione intelligitur [8] ex fratris tui judicio, (quod principalium constitutionum prompto favore firmatur) etiam rerum ejus compendium ad te delatum esse. PP. 15. Kal. Decemb. *Sirmii*, ipsis XV. & III. AA. CONSS. 9.

De rerum dominio.

20. Iidem AA. & CC. Martiali.

TRaditionibus [10] & usucapionibus [11] dominia [12] rerum, non [13] nudis [14] pactis transferuntur. [15] PP. Kalend. Januar. ipsis V. & IV. AA. CC. CONSS. 293.

De divisione & transactione.

21. Iidem AA. & CC. Eusebio.

CUm proponas, inter vos sine [16] scriptura placuisse *fratrum tuorum successiones æquis ex partibus dividi*, & transactionis causa probari posse hanc intercessisse conventionem: exceptione [17] te tueri potes, si possides: Quod si adversarius tuus teneat [18]: ex hoc placito nullam actionem natam esse [19], si tibi stipulatione non prospexisti, debes intelligere: nec adversario tuo transactione uti [20] concedendum est, nisi [21] ea quæ placita sunt [22], adimplere paratus sit. PP. Kal. Maji, AUSTO II. & GALLO CONSS. 298.

De tutoribus & curatoribus.

22. Iidem AA. & CC. Archelao.

PActum curatoris [23] *recipere minorem quantitatem* paciscentis, adultæ ætatis suffragium, ne noceat, efficiet: tutores [24] enim & curatores exigentes pupillis & adultis debitum, non etiam remittentes [25] præstant obligationis liberationem. PP. 18. Kal. Decemb. *Sirmii* ipsis VII. & VI. AA. CONSS. 299.

De filio.

23. Iidem AA. & CC. Honorato.

FIlius [26] paciscendo [27], aut debitum accipiendo: nihil detrahit patris obligationi. PP. 17. Kal. Decemb. *Sirmii*, ipsis VII. & VI. AA. CONSS. 299.

An pactum cum quibusdam factum aliis prosit.

24. Iidem AA. & CC. Dominæ.

SI actionem legati, vel fideicommissi, quam adversus heredes mariti [28] quondam tui habuisti, te adfectione [29] heredum aliis remisisse probetur, exceptionem pacti contra debitores [30] instituenti, actiones nocere tibi minime posse intelligis [31]. PP. 18. Kalend. Januar. *Sirmii*, CC. III. CONSS. 300.

De pactionibus debitorum.

25. Iidem AA. & CC. Euhemero.

DEbitorum pactionibus [32], creditorum petitio nec tolli, nec mutari potest. S. IV. Kalend. Maji, *Sirmii*, CC. III. CONSS. 300.

De pacto successorum debitoris.

26. Iidem AA. & CC. Corneliæ.

PACto successorum debitoris ex lege [33] duodecim tabularum æs alienum hereditarium pro portionibus quæsitis singulis ipso jure divisum, in solidum unum obligare creditori non potest: Quod & in honorario succedentibus jure locum habet. De chirographis itaque communibus exhibendis coheredem, vel non perfectis in divisione placitis convenire, quanti tua interest, potes. PP. III. Id. Octob. *Variani*, CC. CONSS. *

De stipulatione pactum confirmante.

27. Iidem AA. & CC. Aurelio Chresimo.

PEtens ex stipulatione, quæ placiti servandi causa secuta [34] est: seu antecessit [35] pactum [36], seu post statim interpositum sit, recte secundum se ferri sententiam postulat. S. VI. Idib. Novemb. *Heracleæ*, CC. CONSS. *

fid. inst. velut in testamento scripto. *l.* 21. ⁊. *de testamentis.* emphyteusi. *l.* 1. ⁊. *de jure emphyteutico.* literarum obligatione: sententia definitiva. *l.* 2. ⁊. *de sent. ex periculo.* in legitimandis per matrimonium liberis in concubinatu susceptis. *l.* 10. 11. *vers. Sufficiat.* ⁊. *de natural. liber.* in nuptiis Senatorum & honestiorum personarum. *Nov.* 74. *c.* 4. idem in hypotheca mutui, ad emendæ militiæ casum, *Nov.* 97. *c.* 4. vel si jus πρωτοτοκίας, seu prior in hypotheca esse affectat. *Novell.* 136. *c.* 3. *l. scripturas* 11. ⁊. *qui potiores*: in arbitrii homologatione. *l.* 4. *in fin. l.* 6. ⁊. *de arb.* in contestatione non numeratæ pecuniæ. *l.* 14. §. 4. ⁊. *de non num. Nov.* 100. *c.* 1. §. 1. *vers. Contestationem.* in emancipatione. *l.* 2. *l. ult. de emancip.* in adoptione. *l. ult.* ⁊. *de adopt.* vide Speculatorem *tit. de inst. edit.* §. *restat autem. vers. Αὐτο νυν*; Ferrariensem *in forma productionis testamenti* 13. *in verbo, coram.* 1 Τὸ πρᾶτα, *Synopsis*, id est, venditoris aut rei venditæ. 2 Si uni ex correis debendi fit pro sua persona liberatio, tacite videtur creditor cum eo pactus, *ne pro suorum correorum personis conveniatur*: futurum alioqui, ut si non ea formula liberatus sit, ob reliquos possit convenini. *l.* 2. 3. ⁊. *de duobus reis.* Goth. Si alter ex duobus reis portionem suam solvat, an & quatenus inde obligationis divisio inducatur, ita ut is pro rata alterius amplius conveniri non possit. Vid. Donell. Gilken. Pac. Purpurat. Thoming. *decis.* 47. Hartmann. Pistor. *quæst.* 9. Ronchegal. in *l. ubi duo. ff. de duob. reis.* Leonin. *emendat. lib.* 5. *c.* 4. *num.* 8. Ans. 3 *Synops. Basil. eod. c.* 60. 1. Harm. 9. §. 30. *c.* 1. *tit.* 16. §. 6. 4 Puta paganos, non milites. 5 Adi Socinum Jun. *cons.* 143. *n.* 46. *lib.* 1. Forcatulum *Necyomant. dialog.* 55. *n.* 6. & Sarmientum *lib.* 2. *select. c.* 5. Mod. 6 Ἐπὶ παράτᾳῳ, ubi in aciem prodeunt. *Synop. Harmenop.* 7 Non valet convention inter duos facta de mutua successione. *l.* 4. ⁊. *de constitutis stip.* (cum Græci vocant ἀλληλοκληρονομίαν) vide 1. *Harm.* 9. περὶ ἀλληλοκληρονομίας. nisi inter commilitones. *ut hic. de l.* 4. ⁊. *de inutil. stipul.* in ipso procinctu, ἐπὶ παράτᾳῳ ἐξόδου, 21. *Eclog.* 1. *c.* 60. Harm. *d. loco.* non valet inter virum & uxorem. vide Cujac. 16. *obs.* 39. *& ad l.* 20. *ff. de verb. obl.* Valebit ergo hujusmodi conventio inter solos milites? Paponius 20. *Arrest.* 2. *Arrest.* 1. ait, usu hodie receptum esse in Gallia, præsertim inter nobiles, ut in societate omnium bonorum alter alterum heredem possit instituere: Hotomanus *consil.* 1. scribit, hujusmodi donationes inter vivos tos fiunt. *fol.* 7. & *fol.* 48. & *seq.* Idem ex communi opinione refert, hinc legem ad paganos extendi communi omnium gentium usu. Hujusmodi contraternitatem in Germania initam & contractam ann. 1373. inter Ducem Saxoniæ & Landgravium Hassiæ. & aliam diverso tempore inter Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgensem: & in Gallia quoque tamen donationem initam inter Dominos d'Alegre: in Italia inter Dominos de Molza, & breviter ipsum valere hujusmodi conventiones refert Cynus, Bald. Castrens. Salicet. ad *l. si pater* 5. ⁊. *de inoff.* Hippolytus *singulari* 150. & 333. Tiraquell. ad *l. si unquam. num.* 10. 11. ⁊. *de revocandis donat.* Mynlinger. 2. *obs.* 33. Dixi ad *l.* 5. ⁊. *de pactis conventis.*

AA. Coss. id est, A. D. 290. 10 Subint. factissa domino ex justa causa: idque jure continentem. *l.* 31. *ff. de adquir. rer. dom.* E contrario, solus titulus dominium non transfert, *de contr. empt. l.* 83. §. 5. *ff. de verb. obl. l.* 182. *ff. de reg.* §. 8. *Inst. de rer. divis.* a quavis perfona. *l.* 1. *ff. de fundo dotali. l.* 22. ⁊. *de admin. tut. Novell. de non alienandis reb. Ecclesiast.* 7. *a.* 1. & 120. *c.* 7. §. 1. adde *eadem legis* 3. §. *eod.* aut quavis forma, de qua dicam ad *l.* 2. ⁊. *de acquir. & retin. poss.* Effectus traditionis est, In adquirendo dominio tempus traditionis magis dum, quibusdam casibus dominium transferri & ad nos redire sine traditione: quæ de re quæ fit jure civili, vide *l.* 3. *ff. de usurpat. & usucap.* de quibus dicam ⁊. *de usucapion. transformanda.* Hinc colligunt, Directum dominium præscriptione non transferri, sed utile tantum dominium. de quo vide Socinum *reg.* 97. 12 *Dominium*, est jus de re corporali perfectè disponendi, nisi lex obstet: estque unicum numero & substantia. *l.* 14. §. 2. ⁊. *de except. rei jud.* habet tamen qualitates diversas. hinc directum, utile, vel quasi dominium. Utile interdum concurrit cum directo ut in Emphyteuta, aut ei repugnat, vide Ferrariensem *in forma libelli actionis realis*, 2. *in verbo jure dominii vel q.* 9. 13 Οὐ μὴν διὰ ψιλὸν συμφώνιον, *c.* 69. id est, non nudo pacto, *Synopsis d. c.* 60. ὁ μόνον ψιλὸς συμφώνος. *ibid. c.* περὶ ψιλῆς ὑπογραφῆς, *c.* 69. id est, non nudis tantum pactis. 14 *Nuda pactis* hic intelligo quæ traditione destituuntur: nuda, ut in *l.* 1. *ff. de pign. act.* §. 44. *Inst. de rer. divis. l.* 8. ⁊. *de action. empt.* Pacta an obligationes dixeris, nihil interest. *l.* 3. *ff. de obligat. & action.* Goth. Quia ufus legis hujus latissime patet, ne pigeat ut plenius eam intelligas, adire Duarenum *commentario de pactis fol.* 38. Contium *tit.* 3. *disput. cap.* 8. Zoannettum *rerum quotidianarum cap.* 1. Gomesium *tom.* 2. *variar. resolut. c.* 2. *num.* 5. *in fin.* Decium *ad l. legem. hoc tit.* Tiraquel. *in tract. de utroque retract.* 2. *part.* §. 1. *glos.* 7. *num.* 6. & 12. Jasonem *ad l. creditas. num.* 6. *ff. si certum pet. & ad l. quotiens.* ⁊. *de rei vind.* Corn. *cons.* 237. *num.* 2. 3. & 9. *vol.* 1. Socin. *Reg.* 97. Bartolum postremo *ad l.* 1. *& ad l.* 3. §. *ex contrario. ff. de acquir. possess. & ad l. a Titio. ff. de furt.* itemque *ad l. si tibi homo.* §. *cum servus. ff. de leg.* 3. Mod. 15 Transferuntur etiam aliis modis. Sunt enim alii modi transferendi dominii, quam traditio & usucapio. vide *l. ult.* ⁊. *quando dies legat.* sed hi modi, de quibus hac constitutione traditur, ufitatiores sunt aliis. Verum quæri potest, cur non dominia pactis transferuntur? Dic, quia rerum dominia a naturali possessione cœperunt. vide Cujac. *ad l.* 1. ⁊. *de usucap.* adde *l. obligationum* 3. *ff. de oblig. & action.* 16 Vide *l.* 17. 3. *eod. l.* 9. ⁊. *de fide instrum.* Divisio fit interdum instrumentis interpositis. *l.* 35. *ff. eod.* 17 Possidentis ex causa transactionis justa competit exceptio. 18 *L.* 26. ⁊. *familiæ ercisc.* 19 Nullum enim intervenit præter conventionem negotium, ex quo actio dari possit: quod tamen intervenit *in l. cum mota.* ⁊. *de Transf.* unde constat leges has contrarias non esse. *Mod.* 20 Cur ita? vide *l.* 45. *ff. eod.* 21 Cum effectu fcil. *l.* 28. ⁊. *de transact.* Nemo mihi imputare potest, sibi promittum non servari, quando primus ipse promissum non servat. vide *c.* 75. *de reg. in 6.* Adversario fidem contractus servare non cogimur, si eam ipsemet non servavit: fides frangenti non servatur: sed nec juramentum, (cui inest tacita conditio, *si ipse fidem servaverit*) quia pœna non committitur ei, qui hac de causa recusavit contractum servare. vide *l. ult.* ⁊. *de non numerata pecunia, l.* 14. *ff. prosecis.* Quin quod magis est, ad pœnam contra adversarium potest agere. Plura vide apud Rolandum a Valle 1. *consil.* 57. *num.* 19. *ad* 22. Socinum *regula* 149. Fidem frangenti fides frangatur eidem. 22 Vide *l. si convenerit ff. pro soc. &c. pervenit. de jurejur. c. infidelis.* 26. *q.* 2. fallit tamen hoc, ut per Socinum *Reg.* 293. adi & Tiraq. *in legibus connubialibus part.* 13. *n.* 42. Mod. 23 Idem in patre, qui in præjudicium filii renunciare successioni & hereditati 1200. aureorum, pro summa mille aureorum non potest. *l.* 11. ⁊. *de jure deliberandi. l.* 26. ⁊. *de fideicomm. l.* 10. *ff. de transactionib.* vide Hotom. *consilio* 8. 24 Tutoribus pupilli debitum exigere concessum est: at non remittere. *l.* 28. §. 1. *ff. eod.* donare, diminuendi causa transfigere *l.* 46. *in fin. ff. l.* 28. §. 5. ⁊. *de admin. tut.* pupillum spoliare, *l.* 7. §. 3. *ff. pro emptore*: deteriorem ejus conditionem facere. *l.* 15. 28. §. 1. *ff. hoc tit.* 25 Imo remittere possunt: sunt enim dominorum vice *l.* 56. §. 4. *ff. de furtis. & l.* 157. *ff. de reg. jur.* Solve: Sunt omini loco, cum pupillum non spoliant. dicta autem lex 56. agit de transactione litis dubiæ, cujus incertus pupillo oneri esse poterat. 26 Adde *l.* 4. ⁊. *si altena res pignori, l.* 30. *ff. eod. l.* 22. *ff. de solution. & liber.* Idem in affini vel quasi sine mandato, vide Bald. *hic.* 27 Id est, pactum debitori patris faciens de non petendo. Quid si alimentorum, vel etiam valetudinis causa, vel ut studiis liberalibus eruditetur, vel ut legatione fungeretur, mutuum accepit, num illis casibus pater obligabitur? Sic sane. Hoc ex pietate paterna colligimus. vide *l.* 5. ⁊. *ad SC. Macedonianum*, & ipsa necessitate. Nemo enim vento vivere potuisse intelligitur. *l.* 2. *in fin.* ⁊. *de aliment. pupill.* 28 Maritus uxori legare & fideicommittere potest. 29 Id est, si probaveris te legata remisisse aliis quam veris heredibus, vel si cum tibi mens ea fuisset legata remittendi veris heredibus, tu opinatis ac falsis remiseris: tale pactum veris heredibus non proderit. Cur ita? quia speciali quadam priorum affectione potuisti legatum remittere veris heredibus tibi ignotis, nullaque affectione tibi conjunctis, aut forte inimicis. 30 Id est, contra veros heredes. 31 Unde? superius dixi. 32 Quantum vis debitores inter se pacifcantur, creditori nihil deperit. *l.* 39. *ff. de negotiis gest.* 33 Sensus est: Lege 12. tabularum singuli heredes pro portionibus, quæ eis sunt quæsitæ, *l. 1. in fin.* ⁊. *si cert. pet.* tenentur. Quid si coheredi suo alicui reliqui coheredes onus seris alieni dissolvendi injunxerint, ea lege, ut vicissim nomina hereditaria (chirographis ei traditis) exigat? possunt inter se quidem ita pacifci: non tamen in creditorum necem & fraudem. *l.* 3. *ff. fa-milia ercisc.* Quid si heres ille creditoribus non solvit? coheredes in eum agent, partim de chirographis communibus exhibendis, partim in id, quod sua interest. 34 Hic agitur de stipulatione pactum subsequente: ideoque male hinc colligunt, pactum ex continenti adjectum stipulationi inesse ex parte actoris. Hotom. tamen hic legit *facta*. 35 Id est, si in instrumento (*pactum* enim hic sumi oportet pro instrumento pactum continente) pacti narratio stipulationem subsequitur, vel pactum. Quod ut intelligatur, sciendum est eam esse naturam stipulationis & pacti, ut pactum stipulationem inutilitter subsequatur. Stipulatio pacto adjecta obligat, at non e converso. At si scripturæ seu instrumenti ordinem inuzebimur, pacti narratio, & antecedere, & subsequi stipulationis narrationem poterit. Natura igitur pactum stipulationem non poterit subsequi, sed scriptura. vid. Donellum *hic*: & Cujac. 19. *observ.* 34. In eo tamen funt diversi, quemadmodum & Hotom. Cujacius *d. loco in medio & fine.* pactum stipulationi adjici posse inconstanti tamum ait: idque in solam utilitatem rei, non actoris: Hotomanus vero *q. Illustr.* 34. *fol.* 243. scribit, pactum confestim adpositum contractui stricti juris in adminiculis inesse ex parte actoris: ex intervallo ex parte rei. Donell. vero, utrovis modo, id est, sive ante, sive post adjici inutiliter pro actore existimat *ad l.* 13. §. *eod. n.* 33. 36 Alciatus *l.* 3. *paradox. c.* 2. Forcatulus *dialog. necyomant.* 90. *num.* 5. Torn. *ad rubr. de verb. obl. num.* 34. & 51. Ferm. *ad l. pacta conventa. ff. de contrah. empt.* 2. *c. num.* 30. Mod.

Si certis annis quod convenerat, datum fuerit.

28. Iidem AA. & CC. Leontio.

SI certis [1] annis, quod [2] nudo [3] pacto convenerat, datum fuerit ad præstandum in posterum indebitum solutum obligare non potuit eum, qui pactum fecit [4], nisi placitis stipulatio intercesserit. S. 3. Non. Decemb. *Burtodixi*, ipsis VIII. & VII. AA. CONSS. 303.

De fori præscriptione, & juris sui renunciatione.

29. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni PP.

SI quis in [5] conscribendo instrumento sese confessus fuerit, *non* [6] *usurum fori* [7] *præscriptione* [8] *propter* [9] *cingulum militiæ* [10] *suæ, vel dignitatis* [11], *vel etiam sacerdotii* [12] *prærogativam*, licet antea dubitabatur [13], si [14] oporteret eandem scripturam tenere: & eum, qui hoc pactus est, non debere adversus suam conventionem venire: vel licentiam ei præstare, discedere quidem ab scriptura, suo autem jure uti: sancimus [15], Nemini licere adversus pacta sua venire, & contrahentes decipere: Si [16] enim & ipso Prætoris Edicto [17], *Pacta conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt*: quare & in hac [18] causa pacta non [19] valeant: cum [20] alia sit regula [21] juris antiqui, *omnes* [22] *licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renunciare?* Omnes [23] itaque Judices nostri hoc in litibus observent: & hujusmodi observatio, & ad pedaneos [24] judices, & ad compromissarios, & arbitros electos perveniat: scituri, quod si neglexerint, etiam litem [25] suam facere intelligantur. Dat. Kal. Septemb. *Constantinop.* Post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

Pactum de hereditate viventis.

30. Idem A. Johanni P. P.

DE quæstione tali a Cæsariensi [26] advocatione interrogati sumus: Duabus vel pluribus personis spes alienæ hereditatis fuerat ex cognatione forte ad eos devolvendæ: pactaque inter eos inita sunt pro [27] adventura hereditate; quibus specialiter declarabatur, *Si ille mortuus fuerit, & hereditas ad eos pervenerit, certos modos in eadem hereditate observari*: vel, *si forte ad quosdam ex his hereditatis commodum pervenerit, certas pactiones evenire.* Et dubitabatur, si [28] hujusmodi pacta servari oporteret. Faciebat autem eis quæstionem, quia adhuc superstite eo, de cujus hereditate sperabatur, hujusmodi pactio processit: & quia non sunt ita confecta, quasi omnimodo hereditate ad eos perventura, sed sub duabus conditionibus composita sunt, *si ille mortuus fuerit*, & *si ad hereditatem vocentur hi qui hujusmodi pactionem fecerunt.* Sed nobis omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur [29], & plenæ tristissimi & periculosi eventus: Quare enim, quodam vivente [30] & ignorante de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt? Secundum veteres [31] itaque regulas sancimus, *Omnimodo hujusmodi pacta, quæ contra bonos* [32] *mores inita sunt, repelli*, & nihil ex his pactionibus observari: nisi ipse forte, de cujus hereditate pactum est, voluntatem [33] suam eis accommodaverit, & in ea usque ad extremum vitæ suæ spatium perseververit: tunc etenim sublata acerbissima spe, licebit eis illo sciente [34] & jubente hujusmodi pactiones servare: Quod etiam anterioribus [legibus &] constitutionibus [35] non erat incognitum, licet a nobis clarius est introductum. † Jubemus etenim, neque donationes talium rerum, neque hypothecas penitus esse admittendas, neque alium quemquam contractum: cum in alienis [36] rebus contra domini voluntatem aliquid fieri, vel pacisci, secta temporum nostrorum non patiatur. Dat. Kal. Novemb. *Constantinopoli*, post Consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. IV.

DE TRANSACTIONIBUS [37].

De pactione vel transactione facta cum quibusdam ex tutoribus vel curatoribus.

1. Imp. ANTONINUS A. Celerio.

NEque pactio, neque transactio cum quibusdam ex curatoribus [38] sive tutoribus facta, auxilio cæteris est in his, quæ separatim communiter gesserunt, vel gerere [39] debuerunt. Cum igitur tres curatores habueris, & cum duobus [40] ex his transegeris: tertium convenire non [41] prohiberis. Dat. Kal. Maji, GENTIANO & BASSO CONSS. 212.

De metu litis.

2. Idem A. Luctatio.

CUm te proponas cum sorore tua de hereditate transegisse, & ideo *certam pecuniam ei te debere* cavisse: etsi [42] nulla [43] fuisset quæstio hereditatis, tamen propter timorem [44] litis transactione interposita, pecunia [45] recte cauta intelligitur: ex qua causa si fisco solvisles [46], repetere [47] non posses: & si non [48] solvisles, tamen jure convenireris. PP. 3. Id. Aug. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De actione administratæ curæ.

3. Imp. ALEXAND. A. Tulliæ.

AGe cum Geminiano [49], quod pater ejus curator tibi datus negotia tua gesserit: & si apud judicem negabit se hac actione teneri, quoniam [50] transactio & [51] Aquiliana stipulatio [52] interposita est: judex contemplatione [53] judicii quod bonæ [54] fidei est, quærет, de quanta pecunia nominatim transactum sit; &, si apparuerit de minore transactum [55], quantam pecuniam reliquam ex administratione curæ deberi probatum fuerit, solvere eum jubebit [56], quod non in stipulationem Aquilianam obligationis jure tantum deductum est, quanta erat quantitas pecuniæ, quæ debebatur. Dat. Prid. Idib. August. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

4. Idem A. Numidio.

ACtione administratæ curæ ab eo, qui legitimæ ætatis annos complevit, in Aquilianam stipulationem deducta, & per [57] acceptilationem extincta, nullam [58] aliam superesse [59], nisi de dolo intra [60] concessa tempora [61] non

lib. 2. Steph. Forcatulo *necyomant. jur. dialog.* 55. *num.* 4. Doct. *ad l.* 1. §. *eod.* ubi vide Jasonem *num.* 13. Decium *num.* 17. *in fin.* Curt. ⁊. *jun. num.* 24. Marsil. *singul.* 333. Cagnol. qui in hanc legem ex professo scripsit. Covarr. ⁊. *variar. resol. cap.* 12. Aurpach. *lib.* 3. *epist. cap.* 2. Pil. denique *q.* 67. Mod. 30 Viventis non est hereditas. Ideoque si quis ita emerit, *pro se suisque filiis & heredibus*: vel si quis ita concesserit, *mihi, & filiis, & heredibus*: vel ita heredem instituerit, *me, liberos meos & heredes*, liberi mecum non concurrunt, quia me vivo heredes non sunt. Aliud erit si quis *me, & filios heredes* instituerit. v. Graff. *lib. fent.* §. *her. quæst.* 4. 31 Ita veteribus reguis fatis dectiones confirmat Justinianus, *l.* 29. §. *eod.* 32 *l.* 6. §. *eod.* 33 *l.* 40. *ff. de her. inst.* 34 Eo, de cujus successione agitur, sciente, jubente, adde, & ne quidem in mortis articulo revocante, de ejus hereditate, licet viventis pacifci possumus. Imo non possumus, eo etiam permittente; confirmatur enim spes paciscentium, qui nihil non ausuri sunt in eum, ex cujus morte sperant aliquid. Ad hæc, is de cujus successione quis pacisciturr, de sua hereditate transferenda paciscens non obligatur, *l.* 15. §. *eod. l.* 5. ⁊. *de pactis conventis. l.* 4. ⁊. *de inutil. stipul.* Ergo nec paciscentibus consentire. Solve: hoc nostro casu, qui consentit hereditatem suam, non promittit absolute, cum ante mortem suam voluntatem mutare possit. 35 *L.* 2. *C. Th. fam. ercisc.* 36 *L.* 1. *ff. de pign. & hypoth. l.* 38. §. 4. *ff. de verb. obl.* Rem alterius donare non possumus. 37 11. *ff.* 15. 2. *C. Th.* 9. *C. Gregoriano & Hermogeniano. tit. de pactis.* & *transf.* περὶ διαλλάγων, 11. *Eccl.* 2. 1. Har. 10. 1. *Extra* 36. Transigere est causam seu litem. 1. 16. ⁊. *eod. l.* 1. *ff. eod.* controversiam. *l.* 14. *ff. eod.* vel tuturam. 1. 2. ⁊. *eod.* vel pendentem, aut motam. *l. ult.* ⁊. *eod.* dubiam tamen. *l.* 12. ⁊. *eod.* incertam, nondum finitam. *d. l.* 1. *ff.* consensu. *l.* 13. *l.* 41. ⁊. *eod.* certa conditione. *l.* 25. ⁊. *eod.* certa lege. *l.* 14. ⁊. *eod.* certa re. *l.* 2. ⁊. *eod. l.* 65. §. 1. *ff. de cond. indeb.* retento. *l.* 21. *C.* 38. ⁊. *eod.* vel accepto. *l.* 24. ⁊. *eod.* vel promisso. *l.* 2. *l.* 37. 38. ⁊. *eod.* finire. *l.* 10. *l.* 16. *l.* 29. ⁊. *eod. l.* 1. *ff. eod.* ac decidere. *l.* 1. *l.* 17. ⁊. *eod.* 38 Idem fi cum uno fidejussore. Pactum enim ab altero ex duobus fidejussoribus factum nihil prodeit. *l.* 15. §. 1. *ff. de fidejuss. & mandator.* 39 Curatores & Tutores non modo tenentur ex male geftis, sed ex his quoque, quæ debent gerere. Quanquam is etiam *male gerere* dicatur, qui quæ gerere debeat omittit. 40 Qui transigit cum duobus sibi obnoxiis, tertium tacite liberalle non censetur. *l.* 15. *ff. de tut. & rationib. l.* 3. *ff. eod. l.* 3. ⁊. *Res inter alios acta.* 41 Cur non prohibens, cum obligentur plures tutores in solidum & in eo sint correi. *l.* 38. *l.* 55. *in pr. ff. de adm. & pericul. tutor. l.* 5. ⁊. *arb. tut. l.* & pactum unius correi alteri prosit. *l.* 25. *ff. de pactis, l.* 3. §. 2. *ff. de lib. leg.* Pactum fuit personale, quod alteri non prodeit. *l.* 25. §. 1. *ff. de pactis.* 42 De litenondum mota postumus transigere. *l. ult.* ⁊. *eod.* 43 Imo non est transactio, nisi rei dubiæ, *l.* 1. *ff. eod. l.* 22. *ff. de in jus vocando. l.* 2. *ff.* ⁊. *si quis ausu.* 44 Propter litis metum transactioni locus est. Satis est ad transactionem litis metus. Hoc ipsum quod a lite discedatur, causa videtur esse transigendi. *l.* 65. §. 1. *ff. de cond. indeb.* 45 Pecunia transactionis nomine cauta pure peti potest. 46 Quid? quam summam, num dicemus vicesimam hereditatis, quæ fisco solvebatur, ut vult Cujac. 9. *obs.* 24. Aut vero id quod Ludatius ex transactione dare debuit forori suæ, cui fiscus jam successerat, ut vult Accurs. & Hot. aut certe qui forori successisset, ut vult Donellus? 47 *L.* 23. ⁊. *eod.* Solutum transactionis causa non repetitur. 48 Promissum transactionis causa condici non potest. 49 Herede tui curatoris fcil. 50 Prima dubitandi ratio hinc fumitur, Nam lis per transactionem finita prætextu minoris quantitatis instaurari non potest. *l.* 38. *in fin. ff. ad SC. Treb.* 51 Altera dubitandi ratio hinc fumitur. Nam Aquiliana Lipulatio actionem perimit. *l.* 4. *ff. eod.* 52 Id est, acceptilatio. Solet enim Aquilianæ stipulationis verbo acceptilatio, quæ illam sequitur, intelligi. *l.* 5. *l.* 15. *ff. eod.* & e contra. vide Cujac. 5. *observ.* 36. 53 Decidendi ratio. 54 Negotiorum gestorum actionem intelligit. §. 28. *Inst. de act. l.* 7. *ff. de negotiis gest. l.* 5. *ff. de dolo. & act.* 55 Transactum esse quantitatem pecuniæ, quam ex administratione, &c. *Hal.* 56 Cur ita? vide *l.* 5. *ff. eod.* 57 Actio per acceptilationem extingui folet. Extincta femel actio resuscitari non potest alterio invito. Atqui dixeris, eum qui accepto tulit deceptum fuisse? Antiqua ei non restituetur, fed ejus loco dabitur de dolo actio, nisi tranfigendo dolum quoque remiserit adversario. 58 Cur non tutelæ & curæ? quia subtilitate juris Aquiliana stipulatio, licet dolo malo facta, tutelæ administrationi interposita, ipsius tutelæ actionem extinxit. *l.* 9. §. 2. *ff. eod. l.* 36. *ff. de verb. obl.* 59 Doli actio subsidiaria est ei, qui dolo inductus reo debitori accepto tulit debitum, *ut hic, & l.* 1. §. *fi quis. ff. de dolo.* quemadmodum & metus causa actio et dari, cui acceptilatio metu extorta: *l.* 21. §. *fi metus. 4. ff. quod metus causa.* 60 Doli actio olim annua: jure novo, biennalis est. *l. ult.* ⁊. *de dolo.* 61 Biennium. *l. ult.* ⁊. *de dolo.*

ambigi-

1 Non, si quis quid præstat æpius, ideo consentire intelligitur, seque in id obligare, ut idem in perpetuum præstet deinceps. *Donel.* vel ita: Omis perpetuæ præstationis pacto vestito etiam aliquot annorum præstatione adquiri non potest, sed stipulatione, *l.* 7. ⁊. *de usuris, l.* 31. *ff. de oper. libert.* vel ita, Rei indebitæ per aliquot annos præstatio non obligat ad perpetuam præstationem, nisi præstatio uniformiter continuata est, ut debita (quod hic cessat) & tempore immemoriali: quo casu, non est necesse allegare, vel probare aliam causam: quia tanti temporis observatio habet vim constituti: ubi conflat de præstatione causali, sufficiunt decem continuorum annorum præstationes, & ita intelligi *l.* 6. *ff. de usuris*: ne alioquin cum hac diffideat: adde *l.* 1. ⁊. *de agrariis & censitis.* vid. Molinæum *in tract. de usuris, quæst.* 19. *n.* 200. ⁊. *quæst.* 20. *n.* 205. Triennii tamen tempus in casu *l.* 1. ⁊. *de fideicommissis.* sufficit: ut & in reliquis præstationibus quæ causam evidentem habent. 2 Puta quinquaginta aureos. *Synops. Basil.* 11. *tit.* 1. *c.* περὶ ψιλῆς ὑπογραφῆς, 76. 3 Χωρὶς ἐπιμονῆς, sine stipulatione, *Synops. Basil. eod.* 4 Adi præter cæteros Corasium *lib.* 3. *miscell. c.* 15. Molinæum *ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 7. *gl.* 1. *num.* 19. Pilcum *q.* 21. & 84. Berojum *q.* 14. Mod. 5 Id est, si quis in ipso contractu, aut incontinenti contractus. Ex cujusmodi pacto jure civili nascitur actio: jure prætorio exceptio & replicatio. 6 Vide ad hunc locum Scioppum *reg.* 339. *Goth.* Quatenus quis renunciare possit favori suo, & legi prohibitoriæ, docebunt te Tiraquellus *in tract. le mort saisit le vif.* 7. *part.* 1. *declar. num.* 1. & 4. Chassaneus *in Cat. glor. mund.* 7. *part.* 13. *consid.* Marsilius *sing.* 361. Felinus *ad cap. cæterum. num.* 10. *cum seq. de Rescript. & ad cap. cum accessissent. num.* 4. *de consit.* Socinus Jun. *cons.* 17. *col.* 2. *num.* 1. Guterius 1. *part. resol. c.* 28. *num.* 8. Mod. 7 Foro quisque in suo conveniendus. Forum peculiare fortitur ratione militiæ, dignitatis, sacerdotii. Si alio loco conveniunt, competit nobis exceptio. De exceptionibus declinatoriis adversus jurisdictionem, vide Oldendorp. *c.* 6. *Enchiridii, except.* 7. 8 Id est, exceptione. Porro fori præscriptioni renunciat, qui hoc adversario largitur, ubi conventus ab eo fuerit, se ad suum forum vel judicem suum litem non revocaturum: majus est expresse consentire in quemvis judicem, quam simpliciter polliceri, se ad eum judicem non iturum, ad quem jure possit revocare. Priore casu in quemvis judicem consentitur: posteriore, non consentitur, sed in eos tantum, quos judices jure communi haberes, si miles non esses. Itaque in hac hypothesi, tametsi miles non possit revocare adversarium ad judices privilegio datos, non ad quosvis, tamen trahetur ab adversario, sed ad eos tantum, quorum esset jurisdictio, si donatus privilegio non fuisset. 9 Id est, occasione militum, &c. Fori præscriptio, seu exceptio tribus ex casibus hic competit, propter militiam, dignitatem, sacerdotium: igitur militi, magistratui, & sacerdoti competit. 10 Milites apud magistrum militum. *l. pen.* ⁊. *de jurisdic. omnium jud.* Clerici apud Præsidem in provinciis, apud P. prætorio in urbe conveniri possunt. *l.* 31. ⁊. *de episc. audient.* 11 Vid. *l.* 7. ⁊. *de jurisd.* 12 *L.* 51. ⁊. *de episcopis & cleric. Nov.* 136. *c.* 1. 13 Forte ex *l. si convenerit.* 18. *ff. de jurisd.* Verum ibi licuit ante editum judicem ponitere. Alias additione fit competens. 14 Græca locutio, *si, pro an, ut l.* 30. ⁊. 15 Pacto renunciare foro possumus. 16 Prima decidendi ratio. 17 Quod proponitur in *l.* 7. §. 7. *ff. de pactis.* 18 Foro possumus renunciare. 19 Imo valere debet, præsertim re integra. *l.* 18. *ff. de jurisd.* Solve: *dicta l.* 18. negat pactum nudum ad fori renunciationem sufficere. Aliud est autem in pacto vestito coherentia contractus, *ut hic.* 20 Secunda decidendi ratio satis infirma, multis enim casibus renunciare non licet juri suo: puta dotis privilegio, *l.* 2. *ff. de pactis dotalib.* alimentis. *l.* 8. *in pr. ff. de transf.* cautioni usufructus.

ambigitur? nisi specialiter etiam [1] de dolo transactum sit. PP.2.Non. Mart. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

De transactione cum herede tutoris sine scriptura.

5. Idem A. Evocato.

CUm te transegisse cum herede [2] quondam tutoris tui profitearis, si id post legitimam [3] ætatem fecisti, frustra desideras, ut a placitis recedatur: licet enim (ut proponis) nullum [4] instrumentum intercesserit, tamen fi de fide contractus confessione [5] tua constet: scriptura quæ [6] probationem rei gestæ continere solet, necessaria non est. PP. Kal. Mart. ALBINO & ÆMILIANO CONSS. * 7.

De Querela inofficiosi, de actione ex stipulatu, vel præscriptis verbis.

6. Idem A. Pomponius.

CUm mota inofficiosi querela [8] matrem vestram cum diversa parte transegisse, ita [9], *Ut* [10] *partem bonorum susciperet* [11], *& a lite discederet*, proponatis: instaurari quidem semel omissam [12] querelam per [13] vos, qui matri heredes extitistis, juris ratio non [14] sinit: Verum, si fides placitis præstita non est, in [15] id quod interest, diversam partem recte convenietis: Aut [16] enim stipulatio conventioni subdita est, & ex stipulatu actio competit: aut, si omissa verborum obligatio est, utilis actio, quæ præscriptis verbis rem gestam [17] demonstrat, danda est. PP. 8. Idib. Jan. AGRICOLA & CLEMENTE CONSS. 231.

De procuratore.

7. Imp. GORD. A. Junio militi.

TRansactionis [18] placitum ab eo interpositum, cui *causæ actionem* [19], non [20] *decisionem litis* mandasti, nihil [21] petitioni tuæ derogavit. PP.14. Kal. Jan. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De alimentis.

8. Idem A. Licinio.

DE alimentis [22] præteritis [23], si quæstio deferatur, transigi potest: De futuris autem sine [24] Prætore, seu Præside interposita transactio nulla auctoritate juris censetur, PP.10.Kal. Jan. PIO [25] & PONTIANO CONSS. 239.

Depossessione.

9. Idem A. Agrippino.

SI super [26] possessione, quæ tibi quæsita est, cum quæstionem patereris a fratre uxoris tuæ, pactum conventum, & stipulatio inter vos (ut allegas) interposita est, *Ut, si* [27] *intra diem certum idem adversarius tuus decem aureos tibi numeraisset, possessione ei cederes: vel* [28], *si eam inferre quantitatem non curasset, ulterius quæstionem non patereris*: & is, qui ita spopondit, promisso satis non fecit: consequens est, te, ad quem res pertinet, vim [29] ab eo pati non debere: Cujus [30] rei gratia, Vir Clarissimus præses [31] provinciæ interpellatus, [32] vim [fieri] prohibebit [33]: præcipue cum, etiam si in [34] rem diversæ parti actio competeret, hujusmodi pactione [35] propter utilem exceptionem posset submoveri. PP.6.Id. April. GORDIANO Aug. II. & POMPEIANO CONSS.242.

De lite non revocanda.

10. Imp. PHILIPPUS A. Apollophaniæ.

FRatris tui filiis de paterna successione, ac statu etiam nunc contra [36] fidem sanguinis, itemque placitorum, [37] quæstionem inferre parum probe postulas: nullus etenim erit litium [38] finis, si a transactionibus bona fide interpositis cœperit facile discedi. PP. Prid. Kal. Apr. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

De fideicommisso reciproco.

11.Impp. VALERIANUS [GALIENUS] AA.& VALERIANUS *Nobilis Cæsar* Cajano militi.

DE fideicommisso a patre inter te, & fratrem tuum vicissim [39] dato, *si alter vestrum sine liberis excesserit vita*, interposita transactio rata [40] est: cum fratrum concordia [41] remoto captandæ mortis alterius [42] voto improbabili retinetur: & non potest eo casu rescindi, tanquam circumventus sis: cum pacto tali consenseris: neque eam [43], cui subveniri solet, ætatem agere te proponas [44]: nec, si ageres, iisdem illis de [45] causis in integrum restitutionis auxilium impetrare deberes. PP. 15. Kal. Decemb. VALERIANO & GALLIENO AA. utrisque II. CONSS. 256.

De administratoribus civitatis.

12. Iidem AA. Primo.

PRæses provinciæ examinabit, utrum de [46] dubia [47] lite transactio inter te & civitatis [48] tuæ administratores facta sit: an ambitiose: [49] id, quod indubitate deberi posset, remissum sit: nam priore [50] casu ratam manere transactionem jubebit: posteriore vero casu, nocere civitati gratiam [51] non sinet. PP. 16. Kal. Mart. ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

De metu & dolo. De domino & servo.

13. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. Probæ.

INterpositas [52] *metus causa transactiones, ratas non haberi* Edicto [53] perpetuo continetur [54]. Nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quæ consensu terminata sunt, sufficit: sed talem metum probari oportet, qui salutis [55] periculum, vel corporis cruciatum [56] contineat. † Ad vim tamen, vel dolum arguendum qualitas causæ principalis non [57] sufficit: Unde, si nihil tale probari potest, consensu quæstiones terminatas minime instaurari oportet. Sed quoniam eum, cum quo te transegisse commemoras, ex ancilla [tua] natum, servum tuum esse adseveras: si [58] vera sunt, quæ precibus complexus es, alia ratio pactum reformat: nec enim dubii juris est, dominos cum [59] servis suis paciscentes, ex placitis teneri atque obligari non [60] posse. S. 4. Non. April. *Byzantii*, ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Si a transactione recedatur.

14. Iidem AA. Sopatræ.

SI diversa [61] pars contra placitum agere nititur [62], æquitatis ratio suadet [63], refusa [64] pecunia (cum & [65] tu hoc desideras) causam ex integro agi. PP. 4. Non. Jul. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De Aquiliana stipulatione, & acceptilatione.

15. Iidem AA. Pontio.

UT [66] responsum congruens accipere possis, insere [67] pacti exemplum: ita enim intelligemus, utrum sola conventio fuerit, an etiam Aquiliana stipulatio, nec non & acceptilatio secuta fuerit: quæ si subdita esse illuxerit, nullam [68] adversariæ tuæ petitionem hereditatis, vel in rem specialem competere palam est. PP. 15. Kal. Aug. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De lite non resuscitanda.

16. Iidem AA. & CC. Cæcilio.

CAusas [69] vel lites transactionibus legitimis finitas, Imperiali rescripto [70] resuscitari non [71] oportet. S. 5. Id. Mart. ipsis V. & IV. AA. CONSS. 293.

1 Si de dolo transigendum, specialiter dolum remiti oportet. 2 Heredes tutorum tutelæ tenentur. 3 Transactio legitime facta a majore 25. annis non rescinditur. 4 De eo dixi ad *l.* 17. *S. 1. pr. prox. adde l.* 17. *T. de fid. instr.* 5 Confessione adversarii nulla melior & efficacior haberi potest probatio. vide Roland. a Valle 1. *cons.* 21. *n.* 2. Idem præstat & operatur confessio, quod publicum instrumentum. *Bald.* 6 Instrumenta sunt in id inventa, ut probent. 7 Id est, A.D. 207. Quod si ita est, neque error est in Consulibus, tribuenda hæc lex non Alexandro, verum Severo. Atque ita fuerit hæc lex a Tribuniano prima omnium hoc titulo constituenda. 8 Conjungenda est *l. si instituta. ff. de inofficiosi testam.* & advertendum eam loqui de simplici renunciatione, quæ est nuda pactio vel transactio: in qua fesiliret nullum intervenit negotium, ex quo præscriptis verbis actio daretur: ut in hac lege. difficilis autem inprimis hæc lex habetur: quare vide de ea cum cura scribentes ad *rubr. ff. de verb. oblig.* & ibi ante alios Crot. *in prima lect. num. 40. col. 9. in fin.* & Aret. *num.* 33. Hispa. *ad §. sic itaque. num.* 6. *Institi. de Act.* Fernan. *ad l. pacta conventa.* 3. *cap. num.* 75. *ff. de contrah. empt.* Mod. 9 Solet enim transactio interponi dato aliquo vel retento, *l.* 38. *T. eod.* 10 Negotium hic quodnam gestum est? Do ut des. Nam actor hic remittit actionem, ut ei pars hereditatis detur. 11 Conciliationem *h. l.* 6. *eum l.* 27. *ff. de inoffici. test.* vide apud Fachin. *lib.* 1. *controv. cap.* 10. Anf. 12 De querela inofficioli potest tentari. 13 Justam detinebit transactionem heredes rescindere non possunt. 14 Imo sinit: quoniam transactio inofficiosi querelam integram relinquit, *l.* 27. *in pr. ff. de inoffici. testam.* Dic aliud esse in filio, qui querelam instituit, aliud in ejus herede. *l.* 15. *§.* 1. *l.* 5. *in fin. cum l. seq. de inoffici. testam.* Cur aliud? quia heredi alia actione succurritur: æquum fuit gravem actionem inofficiosi non concedi. Defuncti enim existimationem lædit institutia inofficiosi actio. *l.* 2. *l.* 5. *ff. eod.* Quod si quæris, quæ sint illæ actiones, quibus heredi succurratur, dic, *ut in vers. verum T. eod.* 15 Qui injustam transactionem impugnat, tenetur in id quod interest. 16 Ob non servatam nobis fidem transactionis, id quod interest petimus, vel ex stipulatu (si stipulatio transactioni intervenit) aut præscriptis verbis, si stipulatio omissa. 17 Præscriptis verbis actio rem gestam, id est, ipsum factum demonstrare solet. *l.* 2. *T. de rerum. ins, quæ in fraud.* vide quæ notavi *ff. de præsc. verb.* hinc etiam colligunt, Transactionem contractum esse innominatum, cum detur ex ea præscriptis verbis actio. 18 *L.* 2. *C. Gregor. eod.* 19 Actionis executor, litisve procurator transigere, decidere, solationem acceptare non potest. *l.* 13. *ff. de pactis. l.* 86. *ff. de solut.* 20 Actionem causæ habentis procuratoris, & decisionem litis habentis differentia. Hic, non alle transigere potest. 21 Imo derogare videtur. Nam post litem contestatam, procurator efficitur rei dominus. *l.* 11. *ff. de delo mali except.* Solus procurator, de quo hic agitur, procurator ad negotia gerenda; non ad litis decisionem fuit. 22 De alimentorum transactione hoc paucis notandum: De alimentis testamento, codicillis aut mortis causa donatione relictis, transigere non possumus. *l.* 8. *§.* 2. *ff. eod.* nisi præterita sint, *ut hic.* Atqui de futuris etiam pacisci possumus. vide *hic* Donellum *n.* 8. ergo & transigere? proniores sunt homines ad transigendum, quam ad paciscendum. Paciscentes donant. *l.* 1. *ff. eod.* transigentes etiam aliquod modicum præsens accipiunt vel retinent. *l.* 35. *T. eod.* 23 Cur de præteritis alimentis transigere licet, de futuris non licet? Nemo in præteritum vivit, licet jam vixerit, ea tamen nunquam ad præteritam vitam a defuncto fuerunt destinata, ideoque hoc casu contra testatoris voluntatem recte non transigitur. 24 Cur de alimentis testamento relictis transigere vetatur: non tamen egeat legatarius (id enim faleret in divite; ac præterea alimenta legata potest quis gratis remittere) non ut honos præcise habeatur voluntati defuncti: nunquam enim transactio permitteretur. Dicendum ergo est, prohiberi non præcise, sed causa cognita. 25 Ulpio. 26 De. *Hal.* 27 Transactio fieri potest sub conditione. 28 Quin etiam possidendi causam nobis stipulari possumus. 29 Is, cui transactione libera fundi possessio cessa est, vim pati non debet. 30 Minas aut vim inferentem repellit Prætor officio suo: vel potius interdicto Uti possidetis. *l.* 1. *ff.*

Si is, qui quid transactionis causa accipit, de conventione resiliat.

17. Iidem AA. & CC. Marcello.

CUm proponas ab ea, contra quam supplicas, litem, quam tecum habuit, transactione decisam: eamque acceptis [1] his, quæ negotii dirimendi causa placuerat dari, nunc de conventione resiluisse; ac petas, vel pacto stari, vel [2] data restitui: perspicis, siquidem de his reddendis *manente* [3] *transactionis placito*, statim stipulatione, *si contra fecerit*, prospexisti, & vigintiquinque annis major fuerit: quod exceptionem [4] pacti [5], & [6] actionem [7] datorum habeas: Quod si nihil tale convenit: exceptio tibi [8], non etiam eorum, quæ dedisti, repetitio competit, parta securitate. PP. 5. Id. Jun. ipsis AA. V. & IV. CONSS. 293.

De publicis criminibus.

18. Iidem AA. & CC. Valenti.

TRansigere [9] vel pacisci de crimine [10] capitali, excepto [11] adulterio [12], prohibitum non est: in aliis [13] autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra [14] falsi [15] accusationem. S. 3. Kal. Septemb. AA. CONSS. 293.

De instrumentis post transactionem repertis.

19. Iidem AA. & CC. Irenæo.

SUb [16] prætextu instrumenti post reperti transactionem bona fide finitam rescindi, jura non patiuntur. [17] † Sane si per se, vel [18] per alium subtractis instrumentis, quibus veritas argui potuit, decisionem litis extorsisse probetur; siquidem actio superest, replicationis auxilio doli mali pacti exceptio removetur: si vero jam perempta est, intra constitutum tempus tantum actionem de dolo potes exercere. Dat. 4. Kal. Octobr. *Sirmii*, AA. CONSS. 293.

De vi transactionis. De nocte.

20. Iidem AA. & CC. Antistiæ.

NOn [19] minorem [20] auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse, recta ratione placuit: si quidem, *Nihil ita fidei* [21] *congruit humanæ, quam ea quæ placuerant, custodiri*: Nec [22] enim ad rescindendum pactum sufficit, quod hoc secunda [23] hora noctis intercessisse proponas: cum nullum tempus sanæ [24] mentis majoris vigintiquinque annis consensum repudiet. S. 4. Kal. Octob. ipsis AA. CONSS. 293.

De simulata emptione.

21. Iidem AA. & CC. Geminiano.

CUm ea, quæ transactionis causa dari [25] aut retineri convenit, velut [26] emptorem eum, quem accipere placuerat, obtinere præscribitur: his, quæ simulate [27] geruntur, pro infectis habitis, frustra ficti [28] pretii postulatur numeratio. S. 5. Non. Octob. ipsis AA. CONSS. 293.

De doli contestatione.

22. Iidem AA. & CC. Alexandro.

SI [29] major transegisti, ad rescindendam transactionem de dolo contestatio [30] non sufficit. S. Kal. Decemb. ipsis AA. CONSS. 293.

De condictione indebiti.

23. Iidem AA. & CC. Tatiano.

NEc intentio [31] creditorum Archimedori [32], cui alios successisse profiteris, si obligatus pro eo non fuisti, tenere te [33] potest: sed hoc integro [34] negotio tractari convenerat: nam cum jam quæstionem transactione decisam, & a te dari placitam, numeratam pecuniam proponas: hujus indebiti soluti prætextu, improbe tibi petitionem decerni postulas: cum [35] etsi tantum in stipulationem fuisset deducta, indebiti promissi velamento defendi non posses. Dat. 8. Idus Mart. CC. CONSS. 294.

De solutione partis.

24. Iidem AA. & CC. Victorino.

SI [36] quidem ex causa transactionis acceptis [his,] quæ instrumento continentur, *nihil* [37] *amplius peti*, convenit, adversariam tuam exceptionis auxilio defendi perspicis. † Sin vero certam quantitatem, qua [38] solam ab ea debitam, reddere se debere: sine litis decisione confessa est: tam eam, quam residuam debiti partem petere minime prohiberis. S. 5. Non. April. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

De transactione vel donatione ob spem futuræ successionis facta.

25. Iidem AA. & CC. Marcellæ & Quirillæ.

SI majores viginti quinque annis cum patruo sive avunculo vestro transegistis, vel ei debita donationis causa sine aliqua conditione [39] remisistis: non idcirco [40], quod [41] hoc ejus hereditatis captandæ [42] causa, id est, spe [43] futuræ [44] successionis, vos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finita debent. S. 2. Id. April. CC. CONSS. 294.

An transactio matris noceat liberis.

26. Iidem AA. & CC. Dionysiadæ.

TRansactione matris, filios ejus non [45] posse servos [46] fieri, notissimi [47] juris est. S. Id. Apr. CC. CONSS. 294.

De ægroto.

27. Iidem AA. & CC. Catoni.

SAnum [48] mente [49], licet [50] ægrum corpore, recte transigere, manifestum

est, alias non admitteretur. *l.* 3. *l.* 7. *§.* de precibus, *l.* 2. *§.* merito 10. *ff. ne quid in loco publico. l.* 12. *in pr. ff. de religios. l. penult. ff. de hered. instit.* Imo transactiones rescindit princeps, *l.* 1. *in fin. C. de abolit.* 1 *L.* 24. *T. eod.* 2 Alternativæ petitionis genus observa, vel pacto stari, vel datum restitui; adde *l.* 14. *S. eod.* 3 Possumus hanc clausulam transactioni adjicere, *Si quid contra hanc transactionem feceris, neque audieris, & eo amplius, quod a me transactionis causa, acceperis, restitues, l.* 16. *ff. eod. Synopf. eod. cap.* 27. 4 Ex stipulatione actio: ex clausula exceptio competit. 5 Si adversus transactionem quid moliatur. 6 Imo alterutrum tantum competere videtur: quoniam qui a transactione recedit, commodum ex ea percipere non debet: hæc enim repugnant, actum oppugnare, & ex eo commodum quærere. *l.* 8. *§.* meminisse 14. *ff. de inofic. testam. l.* 13. *§.* penult. *ff. de jure fisci.* Denique transactione resoluta, datum ejus causa condicitur, *l.* 23. *in pr. ff. de condict. indebiti.* Præterea qui a transactione recedit, fidem & naturalem æquitatem violare videtur, *l.* 1. *ff. de pactis.* 7 Id est, repetitionem. 8 Nolenti scil. a transactione recedi. Sic itaque distinguendum: Indulges adversario restitutionem? restituere a te pecuniam acceptam tenetur. *l.* 14. *S. eod. l.* 40. *T. eod.* Non vis transactionem refindi? duplicitet tibi consultum: habes enim vel exceptionem & datorum repetitionem, si ejus repetitionem stipulatus fis, rata manente transactione: aut si id non fis stipulatus, solam exceptionem. *l.* 23. *§.* penult. *in fin. ff. de condict. indeb.* Illud amplius est, juratam transactionem oppugnantem, infamia notari, *l.* 41. *T. eod.* privari dignitate. *l.* 17. *T. de dignitatibus.* Ilellionatus teneri, ideoque puniri exilio, aut ejus loco pœna pecuniaria, arbitrio judicis. vid. Ferrar. *in forma, ut pacta serventur.* 36. *In verbo Transact. T. n.* 13. *in fin.* 9 *Synopf. eod. c.* 26. 1. Harm. 10. *§.* 3. 10 Non capitali. Hotomanus 21. *Illustr. fol.* 141. 11 Hæc verba desunt in C. Gregor. Cujac. 6. *obf.* 11. Azo putat maritis hodie permissum transigere, & pacisci cum suis uxoribus adulteris nomine. *Novell.* 134. *c.* 10. Goth. Hæc verba ab imperito interprete addita putat Ant. Fab. *conject.* 2. *conj.* 20. vid. Alciat. & Purpurat. *h. l.* Anf. 12 Tribus quæstionibus res tota definiri potest. Primo, Num adulteriii crimen capitale semper fuerit apud Romanos. de quo vid. quæ notavi *ad l.* 39. *in fin. T. de adult.* Deinde, An de adulterio paciscl liceat. Postremo, An de eodem liceat transigere: De utraque quæstione dicam *ad l.* 10. *T. ad Leg. Jul. de adult.* 13 Publicorum criminum alia sanguinis pœnam ingerunt: alia non ingerunt. In illis, pacisci licet: in his, non licet. Cur tam varie? Licet cuique reo quovis modo sanguinem fuum redimere. *l.* 1. *ff. de bonis eor.* licet etiam accusatori desistere: quia si non probaverit, puniendus est eadem pœna, qua reus. *l. ult. T. de accus. & inscript.* puniri tamen volunt pœna pecuniaria. *l. T. in fin. ff. de prævaricat.* sed & a quovis potest accusari, *l.* 5. *in fin. ff. de vi public.* Hartm. 1. *Pract.* 20. *obf.* Aliud omnino dicendum videtur (& sic admitti hujusmodi transactionem) si justam accusator desistendi occasionem habuerit; potuerunt enim probationes ei deesse; sin justam neglexit, puniri. *l.* 2. *T. de abolitionibus* v. Alciat. 5. *paradox.* 11. 14 Id est, nisi de falso 11. *Eclog.* 2. *c.* 26. *&* 1. Harm. 10. Accurf. *hic*, Bartol. *hic n.* 4. Bald. *hic in pr.* Salic. Alex. *hic.* Cujac. 6. *obf.* 11. & 19. *obf.* 19. Delrio *hic n.* 141. Alii aliter interpretantur, hæc nimirum sententia, Neminem de criminibus, quæ pœnam capitalem non ingerunt, posse transigere, quin falsum committat. Alciat. *hic*, quin in falsi accusationem incidat. Donel. *hic. n.* 51. *S. & seq.* nisi falsi accusationem subire velit, sine falsi crimine. Hotoman. 21. *Illust. fol.* 142. *Sans commettre fausseté*, Imbertus *in Enchiridio in verbis, En quel cas est permis de transiger*, Sans foy fousmettre & estre accusé de faux, Papon. 1. *Notar.* 6. *c. des transactions, fol.* 418. Citra, pro Sine, usurpatur in *l.* 3. *T. de usur. l.* 1. *T. si res alien. pign. l.* 7. *ff. de servis exportandis l.* 8. *§.* 6. 17. 20. *ff. de transact.* Posteriores notant hoc etiam servari in Gallia, ubi de falso transigere non licet. At forte de jure licuit transigere de falso. Prioris sententiæ interpretes hoc volunt; posteriores negant: qua de re dicam suo loco *ad l.* 7. *T. ad Leg. Corn. de falsis.* Quid? pacisci licuitne de falso? Ibidem dicam. Cur potius falsi hic teneatur, qui transigit de crimine non capitali, quam capitali? quia revera falsum committit. Quod falsum seu quam falsi speciem? dum vovum dissimulat, prævaricatur: dum desistit ab accusatione, tergiversatur. *l.* 1. *in pr. ff. ad SC. Turp.* & hoc quidem Azo animadvertit *hic*, & Accursius in *l. de crim.* 10. *T. ad Leg. Jul. de adult.* cujus sententiam video a Donello *hic* defendi *n.* 68. 69. 15 Num omne falsi crimen capitale est? vid. quæ dicam *ad l.* 7. *c.* 16. *T. ad Leg. Corn. de falsis.* 16 *Syn. Basil.* 11. *tit.* 2. *c.* 27. *&* 1. Harm. 10. *§.* 14. 17 *L.* 15. *§.* 3. *T. de re iudicata, ubi* Goth. *Lucius. §. ult. ff. ad SC. Trebell.* Adde *l.* 2. *ff. de jureiur. l.* 20. *T. hic.* Prodiit, allegatur *l.* 3. *§.* 1. *ff. de transact. l.* 36. *ff. de V. O. l.* 5. *C. de donat. l.* 65. *§.* 1. *ff. de Condict. indeb.* nec obit. h. l. per ea quæ tradit Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 15. *num.* 27. vid. Alciat. *h. l.* Anf. 18 Qui per se vel per alium instrumenta adversarii subtraxit, ut cum eo transigeret utilius, transactione non juvatur, *ut hic.* An aliud, si uterque justa ignoratione ductus, vel neuter in dolo? hoc velle videtur *lex* 29. *T. eod.* & ita forte eit intelligenda *l.* 78. *in fin. ff. ad SC. Trebell.* quæ negat dari restitutionem adversus transactiones factas cum herede (cujus justa est ignorantia) gravato fideicommissi restitutione: utcunque quadrupli lesio ea contineatur. Imo, ut sit neuter in dolo, si tamen transactum est ex testamento, ac postea reperti funt codicilli, competet actio ei, qui lesus erit. *l.* 3. *§.* 1. *ff. hic tit.* Ad hæc, qui sic transegit, de suo jure non visis veris instrumentis decidit. Nulla est autem transactio non visis neque cognitis verbis testamenti. *l.* 6. *ff. eod. l.* 1. *§.* 1. *in fin. ff. testamenta quemadm.* Solve: inter ignorantes transactio inita tenet, testamentariis causis exceptis, *ut S.* recip. *l.* 35. *ff. de re jud.* & papilli. *l.* 3. *T. de jure reip.* Ecclesiæ. Bald. *hic.* Idem in jurejurando a judice inopia probationum delato. *l.* 31. *ff. de jureiurando*: in quibus propter instrumenta reperta litis a finitione receditur. 19 Imo minor est: Nam ex re judicata in factum, & ex jurejurando datur actio, *l.* 8. *T. de reb. cred.* non ex transactione. *l.* 27. *& l. seq. ff. de jureiur.* 20 An idem si transactio jurejurando firmata? Cajus ait *in d. l.* 31. *in fin.* Rolandus a Valle refert, contrariam sententiam veriorem communi interpretum opinione esse, 1. *consil.* 13. *n.* 27. huc refer Fornerium, 2. *select.* 9. quod ex utraque nascitur exceptio, *l.* 28. *T. eod. l.* 1. *T. de exception.* Harmenop. ait, transactionis majorem autoritatem esse. 1. *tit.* 10. 21 *L.* 1. *ff. de pactis.* Goth. Vide Alciat. *h. l.* Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 18. *num.* 49. Minsing. *cent.* 1. *obf.* 3. And. Gail. *lib.* 2. *observ.* 70. Arium Pinell. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. Anf. 22 Nocte pacta, transactiones, stipulationes fieri possunt, *ut hic.* An & actus civiles, legitimi & legis actiones? Hoc quidam negant, ideoque noctu testamentum fieri non posse, licet noctu signari possit, *l.* 22. *in fin. ff. quæ testam.* quod non probo. Nam si nocte testamentum signari & subscribi potest, *Synopf. Basil.* 25. *tit.* 1. *cap.* 23. 5. Harm. 1. *§.* 10. igitur & fieri nocte testamentum potest: uno enim & eodem actu testamentum fieri debet. *l.* 28. *C. de testamentis.* 23 Secunda noctis est nobis septima poli meridiem. Quæ nobis hora septima poli meridiem, ea Romanis secunda hora noctis: hac refer *l.* 8. *ff. de feriis, l.* 1. *ff. de manumiss. l.* 3. *ff. de op. libert. l.* 5. *in fin. ff. qui test. l.* 2. *ff. de annuis legat. l.* 7. *ff. de usucap. l.* 2. *in fin. ff. de verb. sign.* Transactio nocha fieri potest, si testamentum noctu signari potest. *l.* 22. *§.* 6. *ff. quæ testam.* Potest etiam arbitrium ferri. An sententia? Oldend. negat. *arg. l.* 2. *§.* 3. *T. de orig. jur. l.* 1. *§.* 8. *ff. quando appellandum.* adde Soc. *reg.* 359. *Nov.* 82. *c.* 3. v. Oldend. *d. c.* 22. *de rejud.* v. Ripam *tractatu de nocturno tempore.* 24 Hora quavis sanæ mentis hominibus licet transigere. Tempus igitur transactioni non officit, sed mentis imbecillitas. 25 Transactio fieri solet, re aliqua data vel retenta. *l.* 38. *T. eod.* 26 Sensus est: Quoties in aliquo instrumento, dicis causa, scribitur rerum transactionis causa debere, emptionis nomine pretium ab eo peti non potest, quia ficti, id est, simulati pretii, vel simulatæ venditionis nulla petitio est, & ita ceritus transactionis prævaler fictæ venditioni. *l.* 55. *ff. de contr. empt. l.* 57. *ff. de obl. l.* 16. *ff. de reg. jur.* Igitur ex transactione cui venditionis nomen accommodatur, venditi actio non competet. 27 Simulata pro infectis habentur. v. *T. plus vel minus. l.* 57. *ff. de obl. l.* 16. *ff. de reg. jur.* 28 *L.* 9. *in fin. T. de contrah. empt.* 29 *Synopf. Basil.* 11. *tit.* 2. *cap.* 30. *&* 1. Har. 10. *§.* 15. 30 *Eclog.* 2. *c.* 30. id est, protestatio facta extrajudicialiter paulo ante vel paulo post cum amicis vel vicinis, absente eo, quo cum transigitur, *leg.* 19. *T. de his, quæ vi.* (paulo post ἄμα τῷ γάνεσθαι τὴν διάλυσιν. *Eel. abrd.* 1. Harm. 10. *in fin.*) transactioni factæ non obest. 31 Exceptio, non fum heres, opposita creditoribus hereditaris, est exceptio intentionis. Bald. *hic*, intentionis dicentur, quæ in facto versatur. Ea juris exceptioni opponitur, juris exceptio est, quoties æquitas stricto jure opponitur. v. Oldend. *c.* 3. *de except. n.* 5. 32 Artemidori. *Hal.* 33 *Te non potest*, quidam ita legunt, & male: sensus est, non heredem non teneri pacto defuncti, nisi vel pro eo obligatus fuerit: vel nisi ut heres solverit. 34 Id est, nulla quantitate creditoribus defuncti a te numerata. 35 Argumentum observa: cui denegatur indebiti promissi exceptio, multo magis ei denegabitur indebiti soluti repetitio. *l.* 65. *§.* 1. *ff. de cond. indeb. adde l.* 3. *ff. de confess. l.* 53. *ff. de reg. jur.* 36 Non præsumitur igitur facta hæc confessio animo transigendi. 37 Cui facta est promissio, *nihil amplius peti*. is debere dicitur: debere, inquam, ejus rei nomine, de qua agebatur: non aliarum. *l.* 1. *T. eod.* igitur partis confessio reliquam debiti partem non extinguit: neque transactionis vim obtinet, ut hic. sic partis solutio in reliquam debiti partem litem non extinguit. dixi, *l.* 7. *T. de except. l.* 6. *T. de solution.* 38 Sit hoc argumentum. Quinquaginta aureos debes, solve, *hac actio.* Atqui vel chirographum vel mea confessio, qua niteris, nihil aliud arguit, quam me quinque redditurum, *hac exceptio.* Tua confessio qualitates alias non excludit: *hac replicatio.* Rei veritas non opinio debitoris spectanda: *hac decisio.* 39 Expressa. *l.* 7. *T. de eod. ff. de usur.* 40 Regulariter enim ob causam datam, causa non secuta, condicitur. *l.* 1. *ff. de cond. caus. data.* 41 Hinc illud interpretum propositum in mente retentum nihil operatur. *l.* 7. *T. de cond. ob causam dator.* adde 1. Harm. 10. *in fin.* 42 *L.* 11. *T. de test. milit.* 43 Spei alicujus causa datum, spe non secuta, non condicitur. *l.* 3. *§.* *sed si servus* 7. *ff. de cond. causa data l.* 12. *T. de donat. ante nupt.* 44 Spes hæc inhonesta. *l. pen. §. de pact.* 45 Posse videbatur: quia mater ad liberalem causam exercendam admittitur. *l.* 3. *§.* 2. *ff. de liberali causa.* 46 *L.* 1. *T. inter alios acta, l.* 13. *T. de prob. l.* 6. *l.* 10. *T. de liber. caus.* aut spurios. 1. 29. *in fin. ff. de prob.* 47 Cur notissimi? jus libertatis pacto mutari non potest. *l.* 6. *l.* 10. *T. de liberali causa.* Mater liberorum suorum libertatem transigendo minuere non potest. 48 Adde *l.* 3. *T. l.* 2. *ff. qui test.* 49 Alias mente non sana consentire non potest, qui sentire non posse dicitur. *l.* 8. *ff. de optione legata.* 50 Alias corpore affecto mens affectar minus sana est. *l.* 1. *§. apud Vivianum l.* 4. *§.* 1. *ff. de edictis edicit. l.* 2. *ff. qui test.*